

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0538

0536

0542

0532

0547

0527

0587

0487

0637

0437

1037

0037

Ende

Anfang

523

De periculosissima erratione et deviatione peregrinorum
tertiaie societatis per solitudinem.

Processimus ergo per arenosos et latissimos campos, per quos S. Moyses cum universo populo Israel de Aegypto egrediens a mari rubro ascendit et hora tempestiva, dum adhuc multum diei superesset, in quodam loco, dicto Wardachii, bestias exoneraverunt, quod nobis displicuit, quia festinavimus venire Alexandriam. Sed nostri ductores hoc non curabant, quia ante solis occasum dormire et quiescere intendebant, ut per noctem vigilare et inolescere possent juxta ritum sui inutilis jejunii. Dum ergo in loco illo tentoria nostra figere vellemus, clavi lignei, quibus funes alligabantur, non poterant tenere propter tenuem arenam, in quam non firmiter infigebantur, et cum hoc paucos adhuc palos habuimus, aliis per desertum amissis. Sedimus ergo in calore solis in areni arena cum impatientia et murmure contra ductores nostros. Porro a loco illo vidimus inter nos et mare rubrum cumulos arenarum et monticulos et per medium illorum discrete vidimus mare rubrum et videbatur nobis, quod vix per milliare italicum a nobis distaret. Unus ergo de militibus (67 a) tertiaie societatis, in qua ego fui, dixit: ut quid hic sedentes in ardore solis tabescimus et ignavia marcemus? Ecce, ibi est mare rubrum et multum superest diei; descendamus quaeso ad refrigerandum nos et ad deducendum tempus. Hoc dicens nemo sibi respondit et addidit: non sunt, inquit, fideles socii inter vos, qui audeant ad tantillum spatium mecum proficisci pro sua et mea recreatione? paratus ego essem inire bellum pro vobis, et nullus vult mecum ire ad balneum? Quid formidatis? quid timetis? Cumque diceremus sibi, quod Calinus non dimitteret nos, nisi aliae duae societates etiam nobiscum descenderent, irrisit et infidelitatem et formidulositatem multis verbis impropereavit nobis in faciem. Ad haec cum indignatione surreximus omnes de tertia societate, in qua sola haec gerebantur et reassumtis asinis simul ad mare descendere incepimus. Quod cernens Calinus clamavit magna voce revocans nos. Similiter Arabes, camelarii et asinarii et alii peregrini post nos clamabant, precantes ut maneremus; sed dissimulavimus audire et elongati